



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 27. De Coronatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

hac vita cum Christo flagris cædi, vt in altera gloriæ illius participes simus.

8. Christus de tot iniurijs & ignominijs quas à Iudeis patiebatur, neque verbo questus est, neque re vlla refractarium se ostendit: vt doceret nos, in vindicando honorem Christiani non esse, sed in ferenda patienter, si quā accepit, iniuria.



MEDITATIO XXVII.

DE CHRISTI

CORONATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Mat. 27 I. Milites suscipientes IESVM, in Pra-
Mar. 15. torium congregauerunt totam co-
Ioan. 19. hortem.

*II. Exuentes eum, chlamydem coccineā
circundederunt ei.*

*III. Plectentes coronam de spinis, posue-
runt super caput eius.*

FIGVRA.

*Gen. 23. ABRAM vidit montem, qui
vertice alios montes supereminens,
spinis esset obsitus. Hunc cùm ascen-
disset, coloci obtulit sacrificium filij
Iaac.*

PRO-

PROPHETIA.

EGREDI MINI filia Sion, videte Regem Salomonem in diademeate, quo coronauit illam Mater sua. CANT. 3.


DOCUMENTA.

1. PURPUR A caritatis operienda est multitudo peccatorum & vulnerum animæ nostræ : ut Christus texit Sanctissimi corporis lacerationem veste purpurea.
2. Per ludibrium regiam Christo vestem iniijcimus, cum actiones in speciem bonas exercemus, sed quæ coram Deo, quod minus recta intentione fiant, vitiosæ, & sine ullo merito sint.
3. Non satis fuit Christo pati toto corpore, sed etiam capite, ut solueret pœnas inobedientiæ, quam admittimus non solum in sequendis mandatis, sed etiam iudicio & voluntate propria.
4. Si nullam corporis partem voluit Christus doloris expertem esse ; aquum est, ut nulla sit in nobis vel animi vis, vel corporis pars quæ non in eius seruitio occupetur.
5. Coronam spineam cum Christo gestant, qui patienter ferentes huius vitæ tentationes & molestias, incedunt via arcta & spinosa ad salutem.
6. Acrius pungunt, & plus afferunt dolos capiti Christi, inanæ nostræ cogitationes, & vagæ distractiones animi in laudibus diuinis recitandis, quam spinæ illius aperæ coronæ.

N

7. Qui

7. Qui se Christianos professi , ne minimum quidem molestiarum ferre possunt , & quavis exiguae turbantur & prostrantur, contemplentur hoc patientia speculum , ut sub capite spinis coronato , pudeat ipsos esse membra delicata.



MEDITATIO XXVIII. DE VARIA ILLUSIONE DOMINI IN DOMO PILATI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Mat. 27* I. Dederunt arūdinem in dextera eius.
Mar. 15. II. Genuflexo illudebant dicentes: AVE
Ioan. 19. REX IVDAEORVM.
 III. Expuentes in eum , accepta arundine percutiebant caput eius, & dabant ei alaphas.

F. I G V R A.

2. Re. 16. DAVID fugiens Abialonem , cùm tristis , discalceatus , operto capite incederet , à Semei inimico maledictis , & irrisioibus , simul etiam iniurijs & contumelijs affectus est.

P R O P H E T I Æ.

Iere. 20. FACTVS sum in derisum tota die , omnes
subfannant me.

Audi-